

2. De prologo, Io 1, 1-18.

Quod statim sequitur Ioannis testimonium (Io 1, 19-34) ita in prologo praeparatur (Io 1, 6-8.15), ut praecipue tamen ibi introducatur totius evangelii figura principalis eiusque themata fundamentalia. Dicuntur enim Verbum (Io 1, 1.2), Verbum caro factum (Io 1, 14), Iesus Christus (Io 1, 17), et Unigenitus (Io 1, 18). Dicuntur etiam vita, lux, tenebrae, missio, testimonium, mundus, filii Dei, caro, gloria, gratia, veritas. Dicuntur denique enarrare, credere, accipere, videre, et etiam non cognoscere et non accipere.

Circa textum, varie

Varie, interpungitur inter vv. 3 et 4 ut, praeter receptum textum, interdum legatur: "quod factum est in ipso vita erat." Quod varie deinde construitur: "Verbum erat vita in eo quod factum est"; vel "quod factum est, erat vita in Verbo"; vel "vita erat in eo quod factum est." Quae lectio textui recepto ^{ideo} praefertur (Boismard pp. 24-32; Mollat), tum quia sola legebatur ante saec. IV^m, tum quia rhythmum servat qui ultimum verbum ex praecedenti phrasi reassumit et repetit; e contra, Barrett (p. 131) interpretationem censet "almost impossibly clumsy"; et Dodd quaestionem dirimere noluit.

Grammaticae, in vv. 9-13 subiectum est τὸ ψῶς; sed secundum sensum subiectum est ὁ λόγος, uti demonstrat pronomen masculinum, αὐτόν, in vv. 10 et 11.

Erat, factum est: quoad sensum oppositionis, Io 8, 58; quoad factum, notate alternationem: vv. 1.2, erat; v. 3, facta; v. 4, erat; v. 6, ἐγένετο; v. 9, erat; v. 14, factum est; v. 15, factus est, erat; v. 17, facta est; v. 18, qui est.

In principio: cf. Gen 1, 1 et notate differentiam: Moysen statim narrare quae in principio facta sunt; Ioannem facta ad v. 3 remittere ut statim dicat quod in principio erat.

apud, πρὸς: cf. v. 18, qui est in sinu Patris; 1 Io 1, 2: vita aeterna quae erat apud Patrem et apparuit nobis; Io 17, 5, ubi tamen παρὶ

Deus: distingue et , non enim idem apud eundem, sed alius apud alium erat; pariter distingue Verbum Deum et verbum Dei (Io 10, 35), nam illud de sola divina persona dicitur, hoc de verbo creativo, prophetico, evangelico.

omnia per ipsum: idem habes apud 1 Cor 8, 6; Col 1, 16.17; Heb 1, 2; Io 1, 10; hic additur "sine ipso nihil esse factum," quod dictum Originis excludit, Verbum nempe non per aliquem sed ab aliquo esse factum. In VT Deus omnia verbo suzo facit (Ps 32, 6.9; cf. Gen 1, 3.6.9.11.14.20.24); quod tamen verbum subsistere non constabat, sed metaphoricè Dei potestatem exprimebat; unde apud Ioannem magis attenditur ad divinitatem Verbi dicendam